

QUAER. 4^o *An Episcopi possint leges pontificias non admittere?*

Resp. Negandum est. Etenim Episcopi, licet Principes sint in suis Ecclesiis, Romano tamen Pontifici, immediato Christi in terris Vicario, totiusque Ecclesiae capiti et gubernatori, subiiciuntur. Ei igitur parere debent, et sic exemplum obedientiae propriis subditis praebere, legem pontificiam promulgando et eius observantiam in dioecesi sua procurando. Excipe tamen si graves obstant rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent Episcopi has rationes S. Sedi exponere, deinde vero eius definitioni acquiescere tenebuntur — Vide Bened. XIV, *de Synod.* l. 9. c. 8. (4).

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Agendum 1^o de vi obligationis; 2^o de modo obligationi satisfaciendi; 3^o de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I. — DE VI OBLIGATIONIS.

100. **Principia.** I. Lex quaelibet veram inducit obligationem, saltem ad poenam; in hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit. — *Ita omnes.*

II. Lex humana quaelibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest (1). Ratio est, quia Superiores a Deo constituti sunt cum potestate praecipendi. Hinc Apost. *Rom.* 13. 12.: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* — *Ita omnes.*

(4) Et cf. propos. 11. Syn. Pistoriensis.

(1) Dicitur, *obligare potest*, non vero, *obligat*; ratio, quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si is intendat sub sola poena obligare, lex per se ad culpam non obligabit. Et hoc quidem tum de legibus civilibus tum de canonicis valere, tradunt DD. communiter. Vid. Reifensuel, *Ius can.* lib. I. tit. 2. n. 199. et seqq., Laymann, lib. I. tr. 4. cap. 15. n. 1. etc.

Num vero lex quaequam mere poenalis censenda sit, an vero violatio eius etiam conscientiae reatum inferat, id communiter DD. definiendum statuunt ex mente legislatoris, quae tum ex legis materia ac

verbis, tum ex aliis adiunctis arguatur. Quod autem habent Salmanticenses (*De Legib.* cap. 2. n. 45.), et post eos S. Alphonsus (lib. 1. n. 147.), normae instar habendum, num ultra *poenam praecipitum adiungatur*, accipi id debet (ut cum aliis addit Suarez *De Leg.* lib. 3. cap. 3. n. 6.), *nisi aliunde constet de mente legislatoris*, quae (ut idem Suarez addit, ibid. cap. 4. n. 8.) colligi potest etiam ex consuetudine, quae est optima legum interpret. Multo minus autem admitti ceu regula certa potest, mere poenales esse leges, si nulla verba *praecipientia* praefertant; de quo vid. Suarez cit. cap. 4. n. 10.

III. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiae aut circumstantiarum, vel finis a Superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper*, sed non *pro semper*: lex negativa vero obligat *semper* tum *pro semper*, id est pro singulis momentis — *Consentiunt omnes.*

IV. Lex divina positiva, et humana, non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi*, seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis coniunctum sit. Constat ex Iure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiae et consensu omnium.

101. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An legislator possit praecipere sub levi in materia gravi, et vice versa?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, saltem probabilius, quia obligatio pendet ab eius voluntate, sicut lex ipsa. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 143.

Resp. ad 2^{um} *Neg.*, quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine, etc. — S. Lig. *ibid.* et alii *communiter* (2).

QUAER. 2^o *Quaenam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

Resp. Colligendum id est 1^o ex verbis ipsis legis; 2^o ex eius obiecto, fine et circumstantiis; 3^o ex gravitate poenae inflictae; 4^o ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere materia gravis est, quando finis legis sit prorsus magni momenti, et ad hunc finem lex multum conducat, aut si valde obsit, etsi *de se* sit quid leve; secus, materia censebitur levis. Sic grave est pro celebrante Missam, si omittat infundere in Calicem aliquot guttulas aquae. Non autem erit grave, si die ieiunii unciam panis manduces extra refectionem. — S. Lig. n. 144. — Lacroix, n. 663, et alii *communiter.*

QUAER. 3^o *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit; nec prohibet lex naturalis, ut bono communi exigente apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioquin validi (3).

(2) S. Alphonsus (lib. 1. n. 141.) postquam retulit communissimam doctrinam, nempe: *cum res est levis, non peccat mortaliter transgrediens, etsi superior sub mortali praeeperit*, addit tamquam exceptionem ex Salmanticensibus (tr. 15. cap. 6. a. n. 86.), *posse praelatum regularem praecipere sub gravi, quod a regula praecipitum est tantum sub levi, si timetur, quod regula aliter non observetur.* Sed ut rite haec intel-

ligantur, advertendum est, Salmanticenses et Auctores ab his allegatos disputare de regulis, quae utique vi Constitutionum Ordinis illius obligant solum sub levi, aut solum sub poena, sed simul habent eam materiam, quae capax est gravis obligationis, v. gr. abstinencia a carnibus.

(3) Ita Synodus Tridentina irritat matrimonia clandestina, ex mero iure naturae alioqui valida: ita et leges civiles irritant testamenta praescriptis solemnitatibus destituta.

QUAER. 4^o *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

Resp. 1^o Affirm., si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia contemnitur ipsa auctoritas, ex qua leges vim obtinent.

Resp. 2^o Neg., si contemptus respiciat tantum materiam ut levem *in se*, aut si peccans legem transgrediatur ex incuria, ira, aut alia eiusmodi causa. Ratio est, quia tunc non ipsa auctoritas contemni videtur. — S. Lig. n. 142.

102. — QAER. 3^o *An obliget in conscientia applicatio legis seu sententia, quae fundatur in falsa facti praesumptione?*

Resp. 1^o Neg., si applicatio legis fundetur tantum in praesumptione facti particularis, culpa, fraudis, vel damnificationis; ratio est, quia si deficit factum, eo ipso deficit totum obligationis fundamentum. Hinc si condemneris ad pecuniam solvendam pro damnis, quae ab asino tuo illata falso existimentur, non obligaris ad solvendum, nisi *per accidens*, v. gr. ratione scandali; sed tunc potes te compensare etiam post latam sententiam. — S. Lig. n. 100, 150. — Suarez, Roncaglia *et alii communiter*.

Resp. 2^o Si lex fundetur in praesumptione periculi universalis, culpa, fraudum etc..., eius applicatio semper obligat in conscientia, etiam seclusa omni culpa; quia bonum commune requirit, ut omnes stabiliter obligentur; secus mala non impedirentur efficaciter; et lex alioquin intendit praecavere periculum hallucinationis, necnon reddere homines cautiores. Hinc teneris ad solvendam mulctam, ad quam condemnaris pro damno vere illato ab animali tuo, etsi damnum illud absque tua theologica culpa evenerit. — S. Lig. n. 100. — V. dicenda in tract. *de Restit.*, ubi de *iniusto damnificatore*.

ARTICULUS II. — DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS.

103. **Principia.** — I. Ad satisfaciendum obligationi cuilibet requiritur intentio faciendi id, quod praecceptum est, si lex sit *affirmativa*, v. gr. lex auditionem Missae die festo praecipiens. Ratio est, quia secus actus non ponitur modo humano. — Minime vero, si *negativa* sit, ut lex prohibens diebus festis opera servilia. Ratio est, quia lex negativa non plus intendit, quam operis omissionem. — *Ita omnes*.

II. Non tamen requiritur intentio implendi praecceptum, seu agendi ex motivo formalis obedientiae; quia legislator praecipit tantum operis positionem, vel omissionem. — S. Lig. n. 163. — Sanchez, *et alii communiter*.

III. Non requiritur, ut lex impleatur ex motivo charitatis, nec in statu gratiae, nisi praecipiat ipse charitatis actus, vel status gratiae, ut in

sumptione Eucharistiae. Ratio est, quia opus praecipitur, non vero motivum, nisi forte et hoc exprimatur. Constat etiam ex propositione 16. *Baii* a Pio V. damnata, quae sic se habet: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate*.

IV. Non requiritur intentio implendi finem praeccepti, nisi finis ille praecise *per se* praecipiat; quia ordinarie legislator finem non praecipit, nec praecipere intendit, sed solam actus positionem. Hinc axioma: *Finis praeccepti non cadit sub praeccepto*. — S. Thomas, 1. 2. q. 100. art. 9. etc., *et alii*.

104. **Resolves.** — 1^o Satisfacit, qui audit Missam, ignorans illam hac die esse praecceptam, vel qui cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere, cum proposito aliam Missam audiendi. — S. Lig. n. 163.

2^o Non vero satisfacit, qui opus voti vel iuramenti ponit intendendo *expresse* non satisfacere; ratio est, quia a promittentis voluntate pendet, ut talis obligatio maneat. — S. Lig. *ibid*.

3^o Non satisfacit, qui omnino coactus Sacro interest; talis enim actus ob defectum voluntatis non est humanus (1). Secus, si metu tantum quis inducatur, ut v. gr. famulus metu domini, puer metu magistri, etc.

105. **Quaesita.** — QAER. 1^o *An satisfaciat obligationi legis, qui in ea implenda peccat?*

Resp. Affirm., modo actus sit honestus *in se*, et tantum malus ex circumstantia extrinseca, ita ut substantia rei praecceptae ponatur. Ratio est, quia praecceptum imperat solam actus substantiam, non autem modum. Hinc satisfacit, qui inter Missam audiendam cogitationibus vanae gloriae vel luxuriae occupatur, vel qui audiens Missam intentionem habet furandi. Non satisfit tamen praeccepto confessionis vel communionis per confessionem vel communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus peccato inficitur. Constat etiam ex prop. 14 damnata ab Alexandro VII. — S. Lig. n. 162. *et alii communiter contra paucos*.

QAER. 2^o *An diversa praeccepta unico actu adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si praeccepta haec diversa cadant in eandem materiam ob idemque motivum, ut ieiunium vigiliae incidens in quatuor tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eandem quidem, sed ob motivum diversum, ut ieiunium ex poenitentia, et ex lege ecclesiastica debitum. — S. Lig. n. 166.

(1) Dic potius, hunc (nisi forte, quod A. videtur supponere, desit attentio caeteroquin requisita) praeccepto quoad operis substantiam satisfacere, sed peccare ob malam contrariam voluntatem. Quod idem

dici posset etiam de eo, qui Missae assistat metu, quando ex animo ita comparatus esset, ut nisi metu compelleretur, interesse nollet.

106. — **QUAER.** 3^o *An diversa praecepta diversis actibus simul adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si actus isti sint sociabiles, id est si alter alterum non impedit; quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes inter audientium Sacrum recitare Horas canonicas, vel exsolvere iniunctam poenitentiam, etc. — S. Lig. n. 166. *et alii communiter.*

QUAER. 4^o *Quid agendum in concursu duorum praeceptorum in sociabilitate?*

Resp. Servandum est maius prae minori, quod tunc obligare desinit. Praeceptum autem naturale praecepto mere positivo praevallet, divinum praeceptum praevallet humano, ecclesiasticum civili, etc.

QUAER. 5^o *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic v. gr. si non ieiunasti die vigiliae, peccasti, sed a lege liberaris; quia onus est diei ipsi affixum.

Resp. 2^o *Neg.*, si tempus non fuerit determinatum nisi ad sollicitandam, seu urgendam obligationem. Sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali legi non satisfecit. — S. Lig. l. 3. n. 220.

107. **Resolves.** — 1^o Si debeas 100. nummos Titio, tuque voveas restituere, uno actu satisfacis duabus obligationibus, scilicet iustitiae et voti. Item Sacerdos beneficiatus vovens fideliter recitare Horas, triplici obligationi unica recitatione satisfacit.

2^o Contra si Caio debeas 100. francos ex mutuo, 100. ex censu, non satisfacis solvendo semel 100., quia obligationes in diversam materiam cadunt. Similiter si ex voto et ex poenitentia a Confessario imposita tenearis audire Sacrum, non satisfacis utrique obligationi, si unico Sacro die Dominica intersis (2). — Voit. n. 202. — S. Lig. n. 166.

3^o Nec potes plures Missas tibi a Confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur; quia talis non praesumenda est intentio Confessarii, nisi Confessarius ad fructum Sacrificii respexerit. — S. Lig. *Hom. apost. de Poenitentia*, n. 57.

4^o Qui tenetur audire Missam singulis diebus ex poenitentia per

(2) Excipe, nisi Confessarius opus alias praeceptum iniungat; quod quidem duplici de causa fieri potest: vel 1^o scilicet quia vix alius modus suppetit, quo poenitens satisfactionem aliquam congruam praebere possit; unde Confessarius, quo suppleat

utrumque, etiam Missam die festo ex praecepto audiendam, ipsamque Communionem paschalem seu satisfactionis sacramentalis partem imponit; vel 2^o quia poenitens exoptat, ut hoc quoque medium sibi suppetat uberius satisfaciendi.

unum mensem, satisfacit unicam audiendo die Dominica (3), quia rationaliter praesumitur, Confessarium noluisse poenitentem obligare ad duas Missas eodem die audiendas, nisi id expresserit. — *Ita communiter.* — S. Lig. *Hom. apost.* n. 31. — V. *Cas.* n. 99. et seq.

ARTICULUS III. — DE CAUSIS A LEGE EXCUSANTIBUS.

1^o De natura eorum quae deobligant. — 2^o De appositione voluntaria causarum deobligantium.

§. I. De natura eorum quae deobligant.

108. — Causae deobligantes sunt vel *eximentes*, vel *impedientes*. Priorae eae sunt, quae totaliter subtrahunt a dominio legis, puta, si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores eae sunt, quae subditum sub lege remanentem ab eius impletione impediunt, seu excusant. Hae autem causae impedientes ad ignorantiam et impotentiam reducuntur.

Principia. — I. Causae *eximentes* totaliter liberant a legis obligatione; nemo enim praeceptum imponere potest homini non sibi subiecto. Porro ubi adest causa aliqua eximens, ille, qui legi subiiciebatur, cessat esse eidem legi subditus aut ratione territorii, a quo abest, vel ratione privilegii. — Recole dicta supra *de peregrinis*, n. 94.

II. Ignorantia invincibilis ab observanda lege excusat, quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum. — Ignorantia autem vincibilis non excusat a culpa, cum potuerit aut possit seria diligentia deponi. — S. Lig. *Hom. ap.* n. 43. — Recole dicta *de Act. hum.* n. 13. et *de Consc.* n. 36.

III. Impotentia physica semper ab observanda lege excusat, ut habet pervulgatum axioma: *Nemo ad impossibile tenetur*. Excusat itidem impotentia moralis; quia non censetur legislator obligationem urgere cum incommodo, quod iuxta communem doctorum interpretationem pro gravi haberi possit. — Vid. sup. dicta *de obligatione legis*, n. 100.

Hinc metus gravis, secluso damno societatis aut Religionis, a lege humana excusat; quia lex humana non obligat cum gravi nocumento, ut dictum est supra, n. 100. Excusat etiam quandoque, etsi difficilius, a praecepto divino positivo, v. gr. ab integritate confessionis; imo et a praecepto naturali affirmativo, v. gr. servandi depositum cum vitae pe-

(3) Idem dicito de illo, qui voto se obstrinxerit ad Missam quotidie audiendam, aut ad ieiunium statis quibusdam diebus servandum, nisi expresse aut ad

duas Missas diebus festis audiendas, aut ad ieiunium in aliam diem transferendum, si forte in praestitutam diem aliud incidat ieiunii praeceptum, semet obligaverit.

riculo. Nunquam tamen excusat a praecepto naturali negativo, quia huius obiectum est intrinsece malum. Nec dicas, licere furari in extrema necessitate; tunc enim furtum esse desinit. — S. Lig. n. 175. *Hom. apost. n. 44.*

109. — **QUAER.** *An teneatur ad partem qui ad totum est impotens?*

Resp. Affirm., quando materia legis est divisibilis, et in singulis partibus remanet ratio praecepti. Constat insuper ex prop. sequenti ab Innoc. XI. damnata: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* Excipe, si pars possibilis sit adeo tenuis, ut nullo modo ad finem praecepti conducat. — *Ita communiter.*

Hinc 1^o Qui non potest ieiunare in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, si possit. Item qui non potest omnibus diebus ieiunare, tenetur diebus quibus potest sine gravi incommodo.

2^o Si quis carens Breviario pauca ex Horis memoriter sciat, non tenetur ea recitare; secus si partem notabilem, v. gr. Vesperas, vel Completorium, memoria teneat. — Recte S. Lig. l. 4. n. 134. dicit, Sacerdotem infirmum, qui non valet totum Officium legere, et dubitat, an possit legere partem, neque ad partem teneri, ne periculum anxietatis, aut detrimentum notabile sanitatis subeat.

3^o Qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur, quia nec finis, nec ratio voti obtineri potest. — S. Lig. *Hom. apost. n. 45.*

§. II. *De appositione voluntaria causarum deobligantium.*

110. — Causae deobligantes a servanda lege apponi possunt vel *directe* vel *indirecte*, prout scilicet agentem movet aut finis sese legis obligationi subtrahendi, aut alia causa, praevisto tamen legis servandae impedimento.

Insuper eiusmodi causae possunt esse vel *proximae* vel *remotae*, prouti lex urget aut brevi, aut solum post notabile temporis intervallum.

Principia. — I. Licet semper apponere causas eximentes, et *probabilius etiam directe* et *proxime*. Ratio est, quia cuique licet se subtrahere dominio legis, v. gr. petendo locum, ubi lex non viget (4). — S. Lig. n. 156.

II. Non licet autem *directe* apponere *impedientes* causas sive proximas,

(4) Lex nempe te obligat, ut eam serves, quousque manes subditus: non vero te obligat, ut maneat subditus. Id ipsum dicendum, si quis privilegio se commu-

niat, ne quapiam lege teneatur, v. gr. abstinentiae a carnibus, ad quam evadendam servitio alicuius nosocomii se addicit, aut accipit Bullam Cruciatam.

sive etiam remotas: ratio, quia quousque legi quis subiacet, non potest velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio (5). — Reuter, n. 198.

III. Imo ne indirecte quidem causas proxime impedientes apponere licebit, nisi proportionata adsit aliunde necessitas. Ratio est, quia lex *proxime* urgens ligat *proxime* voluntatem, et eam adstringit ad adhibenda media necessaria, ne ipsa violetur, atque adeo ad impedimenta non iniicienda.

IV. *Probabilius* autem licet, etiam sine ratione, causas apponere *remotas* et *indirecte impedientes*. Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare (6). Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, ad omnia opera cum illa obligatione insociabilia derelinquenda, tempusque obligationis expectandum adstringeretur. — Lacroix.

Quando autem causa censenda sit *impediens proxime*, quando tantum *remote*, norma quapiam generali statui vix, aut ne vix quidem potest. Et *remote* quidem *impediens* fere haberi solet, quae tempus praecepti implendi aliquot dierum spatio praecedat; at prae oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris ac rei praeceptae gravitas, tum etiam prudentum iudicium ac proborum praxis. — V. Sanchez, *In Decal. lib. 1. cap. 15. n. 4.*

111. **Resolves.** — 1^o Peccat qui die ieiunii sine iusta causa laborem aliquem assumit, quo impotens ad ieiunandum fiat; ratio, quia lex *proxime urgens* exposcit, ne sine iusta causa obex illi implendae apponatur. — S. Lig. *Hom. ap. n. 20.*

2^o Certum est autem, excommunicatos teneri ad absolutionem a censura quaerendam, ut praecepto divino Communionis paschalis satisfacere possint. Ratio est, quia praecepta divina strictius urgent quam

(5) Generatim hoc non videtur verum. Et sane quis damnabit eum, qui, ne ieiunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicat?

(6) De obligatione cavendi causas, quae, v. gr. a ieiunio, ab audienda Missa, et huiusmodi impediunt, haec egregie Suarez (*De Peccatis*, disp. 3. sect. 4. n. 10.): *Ut istae omissiones sint voluntariae indirecte* (et ideo imputabiles ad culpam), oportet non solum esse praevistas, sed esse tales, ut praeceptum obliget ad vitandam, v. gr. aegritudinem, ne illae

sequantur: *praecepta autem positiva ad hoc non obligant, nisi quando omissiones proxime et veluti eodem tempore, moraliter loquendo, sequantur. Ex quo etiam efficitur, ut quando istae omissiones non sunt directe volitae... raro imputentur ad culpam; quia praecepta ista positiva non cum tanto rigore obligant, ut propterea teneatur quis cum tanto rigore praecavere ea omnia, quae possunt impedire eorum executionem.*

humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — S. Lig. *Hom. ap.* n. 21. Eadem ratione non potes, incepto iam tempore paschali, abire in locum, ubi communicare non poteris, quin prius ipsi praecepto satisfeceris. — Lacroix, n. 791.

3^o Non peccat contra praeceptum audiendi Sacrum, qui iter ingreditur praevidens fore, ut sequenti die Dominica Sacrum audire non possit. Non excusatur tamen, qui id faciat praecepto saltem moraliter iam urgente, nempe aut eodem die festo aut una alterave ante hora. Excipe nisi aliqua necessitas seu iusta causa intercedat.

4^o Peccant sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, si id possint sine gravi incommodo. — Reuter, n. 199. — V. *Casus*, n. 103. et seq.

CAPUT VI.

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA.

§. I. De interpretatione legis.

112. — DEFINITIO. Interpretatio legis est genuina eius explicatio iuxta mentem legislatoris.

DIVISIO. Est 1^o *authentica*, *doctrinalis* et *usualis*, prout fit ab ipso Superiore, vel a viris doctis, vel ex consuetudine.

2^o *Stricta*, vel *lata*, prout fit stricte iuxta naturalem verborum proprietatem, aut large iuxta sensum benigniorem.

3^o *Simplex*, vel *extensiva*, cum verba vel ut sonant, vel ultra eorum sensum naturalem accipiuntur (1).

Regulae interpretationis:

I. Verba legis accipienda sunt iuxta propriam et usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut iniustum inde sequatur.

II. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes.

(1) Declarationes, quas A. *simplices* dicit, DD. appellare solent *comprehensivas*, quando scilicet sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat; *extensivas* contra, quando ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc.

Inter eas autem hoc etiam discrimen intercedit, quod si *authenticae* sint, *comprehensivae* quidem promulgatione non indigeant; *extensivae* vero nullam vim habeant, nisi legitime promulgentur; quippe eo ipso, quod verbis legis non contineantur, iam sunt novae quaedam leges, atque adeo more legum promulgari debent.

III. Lex poenalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis amplam interpretationem poscit. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* — S. Lig. n. 200. et alii omnes.

QUAER. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?*

Resp. Affirm. quoties alias accusari posset legislator iniustitiae, vel imprudentiae. Hoc autem habetur in sequentibus: 1^o in correlativis, v. gr. inter sponsum et sponsam; hinc si sponsa liberatur a sponsalium obligatione ob longam sponsi absentiam, sponsus pariter ob sponsae absentiam liberatur; 2^o in equiparatis, ut sunt electio et praesentatio ad beneficium; item ova et lacticinia quoad legem abstinentiae; 3^o in connexis, ut sunt Diaconus et Subdiaconus. Item in contentis: quocirca qui potest testari, etiam legata facere potest. — S. Lig. n. 200.

§. II. *Epikēia* (Επιείκεια).

113. — *Epikēia* est benigna, sed aequa legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, quamvis in verbis legis non exceptum, sese extendere non censetur, quippe illum legislator aut non praevidisse aut comprehendere non voluisse prudenter creditur. Ita v. gr. si lex prohibeat gestare arma noctu, gestare possum, si exire debeam et inimicum meum ad mortem me quaerentem sim offensurus.

QUAER. *An Epikēia locum habeat, si Superior facile interrogari possit?*

Resp. Affirm., si observantia legis detrimentum afferat; secus in aliis casibus. — S. Thom. 2. 2. qu. 120. art. 1.

CAPUT VII.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

114. — DEFINITIO. Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari. DIVISIO. Dispensatio esse potest.

1^o *Licita*, vel *illicita*, prout fit iusta de causa, vel non.

2^o *Valida*, vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

3^o *Absoluta*, vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adiecta aliqua conditione conceditur.

4^o *Subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum vel e contrario aliquid falsum asseritur (1).

Agendum 1^o de potestate dispensandi; 2^o de causis ad dispensandum requisitis; 3^o de cessatione dispensationis.

(1) Ita quidem plures *subreptionem* atque *obreptionem* definiunt. Ast alii utroque sensu promiscue utrumque vocabulum usurpant, aut etiam opposito viceversa sensu utrumque adhibent. Vid. Reiffenstuel (In Lib. 1. Tit. 3. n. 154.).